Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



autem discipuli indignati sunt dicentes. Vt quid perditio
hec? Potuit enim istud venundari multo et dari pau-
peribus. Sciens autem ihesus ait illis. Quid molesti estis
huic mulieri? Opus bonum operata est in me. Semper
enim pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habebitis.
Mittens enim hec mulier unguentum hoc in corpus meum:
ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis: ubicumque
predicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo dicetur: et
quod hec fecit in memoriam eius. Tunc abiit vnus
de duodecim qui dicitur iudas iscariothis: ad principes sa-
cerdotum: et ait illis. Quid vultis mihi dare: et ego vobis eum
tradam. At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et
exinde querebat opportunitatem: ut eum traderet.
Prima autem die azimorum: accesserunt discipuli ad ihesum
dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere pascha. At
ihesus dixit. Ite in ciuitatem ad quendam et dicite ei: Magister
dicit. Tempus meum prope est: apud te facio pascha cum
discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituerat illis
ihesus: et paraverunt pascha. Vespere autem facto discumbebat
cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit.
Amen dico vobis: quia vnus vestrum me tradituus est.
Et contristati valde: ceperunt singuli dicere. Numquid
ego sum domine: At ipse respondens ait. Qui intingit
mecum manum in paropside: hic me tradet. Filius quidem
hominis vadit sicut scriptum est de illo: ve autem homini
illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei: si natus
non fuisset homo ille. Respondens autem iudas qui
tradidit eum dixit. Numquid ego sum rabbi: Ait illi.
Tu dixisti. Cenantibus autem eis: accepit ihesus panem et bene